

Historia Bohemiae.

Hist. powsz. 361.

Polidami Valent.: Historia de rebus gestis Bohemorum.

Crac. Hier. Victor. 1535.





HISTORIA
DE REBVS GESTIS BOhemorum condita per Valentinum Polidamum.

Iste historiarũ Bohemicarũ
liber primus cum præfatione
tota, denuo ab authore Poli-
damo componetur, propt
obscuritatem magnam ser-
monis, quæ illi in hac
editione contigit.

Et sic auditum est ab ipso authore
ex ore eius, qui dicere solebat: poste
riores cogitationes meliores esse priori
bus. Itaq lector candide, his quasi
primitijs historiæ de rebus gestis Bo
hemorum utere, aut reliqua ~~aut~~ ad Græ-
cas calendas, si voles, expectato.

AD DEVM INVOCATIO.

Te rogat os blesum, te barbara lingua tonantem,
Donis illustra dogmata nostra tuis.
Da munus cœleste sacro, & diadema labori,
Supplice cui nostras fundimus ore preces.
Sis Deus in nobis ars, & lux dogmate nostro,
Dulcis fons Phœbi pectora nostra riga.
Ingenio præsta clarissima lumina cœco,
Libris ut fiat culta Minerua nouis.

IN ZOILVM.

Nudo tetrius in terris nihil esse latrone,
Tutius ore rudi nouimus esse nihil.
Te rogo si quis te furor, aut dementia torquet,
Zoile uel taceas, uel meliora feras.

Si quis osor est, qui dicat, quòd ego non Bohemorum solum, sed Polonorum quoq; non originem antiquam, & ueram complexus sum: huic respondendum est: quicquid non utile solum, sed etiam necessarium fuerit, id addam, id complebo: ut nihil omittatur, quod ad historiam Bohemicam pertinet, q̃primum duodecim libros de rebus gestis Bohemorum in lucem dedero, cum quibus iste primus liber iterum, & denuo imprimetur omnibus additionibus completus, quem duntaxat ad censuram dedi.



VALENTINI POLIDAMI ad Inuictissimũ Cæsarem FERDINANDVM Hũgarię, Bohemięq; Regem Pręfatio in Historiã Bohemorum.

ETSI NEMINI VNQVAM FVIT DVBIVM, quin Inuictissime Cæsar, pro tua singulari erga doctos uiros clementia, Bohemicũ illi noui scriptores populum, & pro amplissima decoris memoria, summo labore, cunctis ingenij uiribus, maxime memorabilem facturi essent, tamen incredibili uoluptate sum affectus, quum ea mihi facultas scribendi uisa est, & eam historiam cunctarum rerum solam memoriam sempiternam, & maximam laudem, huic regno Deum fortunare maiorem in modum suppliciter rogo, atq; oro: quum scirem, quo suffragio in petentes, quo nutu in supplices soleret esse, & in primis me iuuaret, & ingenij mei, quo sum maxime periclitatus, imbecillitatẽ uegetaret, & prosperos successus ita administraret, Vt omnibus mecum & studijs & temporibus aliquid muneris amplissimi quum patrocinio diuino, præcipuo, tũ singulari gratia sanctissimi spiritus cõmunicare uelit: ab eo hoc fœlicitatis subsidiũ omni conatu peto sic, ut maiore cura, maiore animi supplicatione nihil petere possum, ut qui pro suis magnificentissimis erga me donis, atq; beneficijs, tantum mihi iudicium aurium, tantũ & flumen ingenij, seu tantam cõ-

ponẽdi aut ſcribendi uim, tãtamq; copiã largiri dignaretur, quæ, non dicam exornare, ſed enarrare potentiſſimũ populum, fortiſſimos Duces, clariſſimos Reges poßit. Ab eo etiam atq; etiam peto, ut largiatur proprietatem uerborum, ſtructuram concinnitatis, iucunditatem dictionum, grauitatem pondusq; ſententiarum. efficiatq;, ne quid mihi fiat inuidiæ, neue quid maleuolorũ, oſorum, detractorum ad meos libros, & latratus & ululatus habeat. Si ad ea ſtudia, quæ mea ſponte ſine mora cuiuſquã intercapedinis diligentißime colo, & in hominem tam auerſum à Muſis, & talem barbarum aliquem afferat cumulum opis diuinæ, quo ſi clementius me, quibuſcunq; modis uelit, tractauerit, omnes aduerſus mea ſtudia æque fruſtra calumniatores, ac lucernarij aduerſus generoſiſſimum leonem canes non parum uociferabuntur. & quod maximũ eſt, tutiſſimũ mihi portũ prouintiæ iſtius fretus clemẽtia diuini auxilij ſubire duxi, quum arbitrer omnia me cumulatiſſime et liberaliſſime oblocutoribus meis ſatisfacturũ eſſe, quorũ noſtris tẽporibus et atrociſſima maleuolẽtia, & liuor, & mordax obtrectatio, magnaq; deriſio inſanire uideatur. Vtcunq; illos cum uerbis contentioſis & pugnacibus relinquã, ac pergã, ut cœpi, & ut Illuſtriſſimos Bohemos cum ſuis rebus geſtis diligenter & ſtudioſe ſcribendos aut curem, aut uigilem, quum à longißimis temporibus tanta Bohemis gloria belli, conſuetudoq; ſemper fuit, ut nulla maior eſſe poßit. Nam & ſuis planetis cœleſtibus, & forti Leone ſigno plurimũ ualent. Et is populus (quod & teſtimonia magna cuiq; patere ſummæ militiæ, ſummiq; ingenij, & uiuere cum uicinis coniunctiſſime, non ſolum officijs amicitiæ, uerumetiam ſtudijs communibus perſpiamus) ſic aut tantopere, aut ita ſemper uigilauit, ut non ulla gente coniũctius uiueret, in quo magis magiſq; glorior, cui ſummo conatu præconium affero, quem inſigniter illuſtro, quem à me celebrari uolo potiſſimũ, quid uſq; ad noſtra tempora honorifice & liberaliter egit, quidq; ornamentorum, quæ & multa & magna ſunt, omni memoria digniſſimum agit, Id tantus nullo modo præterire poſſum, & quot tã clara, & perpetua facinora militum præſtitit, aut quot nobiliſſimas familias Regum procreauit. De quibus ſic optimo cuiq; & iucunda, & honeſta omnia diuulgabo, ut decentiſſime diligentiſſimeq; poſſum. quos ſi omnibus modis integros incolumeſq; ab iniuria decuerit eſſe & obliuionis & obſcuritatis, & per quorum documenta poſteritas charitatem patriæ, Euangelicam fidem, admirãdam bonitatem (quæ & à Dijs immortalibus, & à religioſiſſimis in catholica Eccleſia hominibus ſummo orbis terrarũ ſtudio collaudata eſt) toti memoriæ, ingenio, animoq; cõmendet, & quos præcipuos uiros, ex factis ornatiſſimos, ſtudioſiſſimoſq; reipublicæ, optimos Duces, & ſumma prudentia, perpetuiſq; ſcopis, normis & typis candidiſſimos ita imitetur, ut nullũ facinus egregiũ, nullũ deniq; exemplum, in quo cõmunitati prodeſſe poſſet, prætermitteret, tam utile reipublicæ id erit, q̃ quod utiliſſimum, ipſos præterea inuiolabili fide, & ſumma charitate ſibi in perpetuum conſectari elegerit. Sed eos,

qui non solum malo, sed etiam prauo ingenio laborarũt, frequentißime abhorrebit, & eos incredibili contemptu & cupiditate paruifaciet, qui in claritudine, atq; constãtia uirtutis uehementer à prudentißimis, & gloriosißimis Regibus dissenserunt. Nemo quoq; dubitat, quin omnem crudelitatẽ antecessorum fugiet, q̃ cauebit uastum animum, q̃ sacrilegas institutiones, quantam uim sceleris, quantam turpitudinem rerum, quid uoluptatis, quid uanitatis in uita depellet, improbos Reges respuet, probis satis habebit laudis. Ego quum ante aliquot menses, non uulgariter & studiose Bohemiam describebam, tum multo nunc studiosius. quòd in longa cõmendatione singularem & prope incredibilem frugum copiam, multitudinẽ, uarietatem cognoui. Etsi mihi FERdinande Inuictißime Cæsar nunc uideor parum fecisse, quum historiam de regesta Bohemia populi tui scripturus essem, te ipsius causa & honesta, & utilia uelle, tamẽ & populum hunc tanti facio, quod illius decus sit, & studiũ meum à te tanti fieri puto, ut non sim anceps, quin ad tuam Maiestatem magna laus accedat laboris mei. Nam quum iandiu obseruarem populũ Bohemicum, deq; eo sic iudicarem, ut res demonstrat, quod ultro ei conscripseram historiam, cum multis flagitantibus tantum oneris subire noluissem, tum uero posteaq̃ mecum in propinquis urbibus, atq; in uianis locis cõmoraretur, tantã in eo honestatem, humanitatem, integritatem, continentiam uitæ, tantamq; erga uianos mansuetudinem animaduerti, ut populum neminem pluris existimo. Eum cum uoluntate tibi parere obsequium scis, cuius mores tibi nunc exposuimus, quos tũ tamen indies facilius, meliusq; cognosces. De eius politia tibi mediusfidius iam dubium nullum sit, quibus artibus urbes potißimum ædificaret. Ingenium enim, quemadmodum uides, maturum, & magna cũ hominũ laude notum est. Tibi autem in hoc regno nihil aliud opus est, nisi alacritate tua sceptrum tenere. Sed tamen quum minime ignoras, quanta sit in Bohemis scientia rei militaris, præsertim ista prudentia, consilio, experientia, qua strenuos uiros esse inter omnes uianos constat, qui cum aliis contendunt pro illustrißimis exemplis suis, optimisq; documentis, paribus, ac mutuis, ut facile coniunctißima & necessitudine & industria & temperantia antecellãt cæteras nationes, ut te Regem decorent, & sibi te gratißimum esse, quod non dubitant. Semper enim ab omni incõmodo, detrimento, molestia synceros, integrosq; factos tibi esse uides. In tuo regno, atq; prouintia nihil omnino est, quod tibi maius, fœliusq; contingere poßit. Iam apud ipsum nobilißimum populum, atq; sapientißimos homines q̃ bene positurus sis gubernaculũ tuum sapientiæ, atq; innocentiã uitæ, fugere tuam Maiestatem non arbitror.

PRIMVS LIBER VALENtini Polidami de situ regiõis Bohemiæ, de eius fluminibus, & ciuitatibus, de moribus, & origine Bohemorũ, ac de Zechio primo Duce Bohemiæ.



VO MAGIS QVOTIdie ex libris, & scriptoribus magnas res gestas esse in Bohemia cognosco, eò uehementius à tenebris in lucem profero. Bohemia omnis trans Danubium situm habet. quibus igitur terris q̃ munitißime circumdatis describi potest uberius, singula explicentur, quæ comperiantur, quæq; in eadem terra sint, quam authores mire erudito, & studioso, & modesto ingenio illustrarũt, qui & optime omnia nouerũt, & elegantißime ad amussim declarare & ostendere conati sunt. Quæ quidẽ portio Germaniæ cultu, atq; humanitate longe præstantißima dicitur. ipsa terra, quæ altißimis & coniunctißimis montibus aquilonis cõmuniter ad flatus spectat, cum Morauia continẽs ad ortum solis est. Natio Silesitarum uirtuti amicißima, quoddam illi latus porrigit, ut septentrionem, qua mirabiliter excellit, sic in eadem parte armatum, paratumq; locum ad tutandum habere uideatur. Quanq̃ in eadem plaga septentrionis plures morantur populi, qui quondã Saxones, nũc Thuringi, & Misnẽses appellantur. Proxime terra Aduocatorum accedit in amicitiæ uerißimo confinio. Bohemiam à meridie Baioarij, & Austria respiciunt, & accolit magna pars Austriæ utranq; ripam Danubij. Quum igitur Bohemiam populus Germanicus quoquouersus amplecteretur, ea regionis latitudo & longitudo est æqualẽ, ac parem diametro formam habere. quod iter trium dierum completum continet, cui ab initio magnitudinis omni parte prouintiæ æqualitas respondeat, ut omnis ueritas experientia comprobetur. Ipsa sylua, quã hercyniam authores uocant, ea loca regionis occupat, quæ ad exitum, quæq; ad publicam uiam pertinerent, quæ cum essent à montibus flumina magis fertilitate, q̃ sterilitate, & inopia scatentia, amnesq; & riuuli, qui prata & agros fœcundant, in flumen Albim terminis suis omnes ferè influerent. Quamuis Albis initium illud certißimum à montibus inuentum esse ostendit, qui Morauiam à Bohemia dirimunt, aut, ut uerius dicam, Silesiam. Sed idem non minus locis utile educit, q̃ iucundum præstat, tamen cursum facit per Bohemiæ partem eam, quæ in media prouintia est, primum ad occasum solis, deinde ad septentriones, & propter altitudinem mirabiliter camporum decliuem, & propter rupes, & ualles dilabitur. Postea uero q̃ certißimis tũ curriculis, tum etiam spatijs totam fertilem & uberem prouintiam reliquit, confestim per saxa, & per nemo-

Descriptio fluuiorum.

ra, & per angustias sese deuolues ad Saxoniam uergit, quā ab illo situ amœnißimo locorum diuidens, atq; seiūgens in duas partes confunditur in mare. Ibi quoq; à flumine Rheno latißimo atq; altißimo non dispar terrarum spatium, & nexum habet longinquitatis, à quo fines aut Sarmatiæ, aut Germaniæ quondam grauißimi rerum scriptores arbitrati sunt, Sed nostris temporibus amnē Oderam seu dubitat, seu ignorat nemo, qui ubertate agrorum, nemorum iucunditate, camporum amplitudine prouintiam Silesiam intersecat, ac tot piscium uarietate nec uacans, nec inops flumē Pruthenorum Viscellam, quod imperium Germanorum prætergreditur, Albim in alueo continere. Sunt enim alij amnes, quos sepißime Bohemi recordātur, Orlioze, qui quū usq; quaq; summa celebritate, tum quadam peculiari dignitate, non parum famigeratam illam, & inclytam aquilam significat. Egra, qui ex oppidi pulcherrimi et florentißimi glorioso nomine, quod non solum beneficijs, sed cōmodis etiam, & perpetuo quodam cursu aluit, & ornate, & honorifice appellatur, publice scaturiens in terra Aduocatorum apud Littomeritiam oppidum ornatißimum Albi admiscetur. Quantæ utilitatis regno Multauia est, & q̄ idem existit magnificus in cæteros ornando & amplificando, & qui munificus frugum, ac benefiaorum suorum erga incolas semper existens fluuius Pragam metropolim regni influit, aut qui Saczanain, aut Lusmiaum, aut Misam, aut deniq;

totū flumē Albim secū semp omnibus optatißimis cursibus amplectitur. Maxime memorabilia sunt Bohemiæ regni oppida, castellaq; egregia cū singulari quodam munimine condecorata, ut Praga in primis obtinere, caput ciuitatum putaretur, eas res, quas geßisset mortalibus notas esse, & non ignorari à præstantißimis uiris, qua æquitate, uirtute, ingenio, fide, beneuolentia tractaret unumquenq;, & tueretur, & cognitam integritatem & comitatem in maximis rebus cōmunicaret. His enim laudatis à sapientißimis mortalibus altius se ornat insignibus moribus quos exprimere uellet: quum regiam, & Pontifiaam sedem propter honestatem haud mediocrem haberet. Vrbs & magna & nobilis æque sit, & periucunda, ac qualibus ornamentis, & quibus mœnibus ciuitas Florentia Aetrusca fuit magnifice & eleganter condita: quæ quum esset ab incolis cura magis & diligentia, q̄ ambitione & uanitate diuisa in tres partes, quarum una pernobile & perhonorificum nomen ueteris Pragæ, sicut eius fama postulat, habet. alia paruæ, tertia nouæ. Parua autem idoneum & maxime contiguum fluminis Multauiæ latus sinistrū occupat, quod muri altitudine oppidum florentißimum à collibus diuiditur, in quibus cum eßet regia arx sita, & item sancti Viti augustißimis templum pōtificale artificijs & grauißimis structuris, & magnifico ære condecoratum. Praga uetus ad omnia respiciendа loca æqualitatem & uulgo metitur, & paßim, quæ

Descriptio ciuitatum.

ſunt incolis planiſsima, nullus reperitur profecto, qui non magnitudine ædificiorum adornatus elaboratusue ſit, inter quæ laudandum multo magis illud eſt, quod ad egregium prætorium, hoc eſt, ad decus populi, ciuitatis, Reipublicæ, totius patriæ pertinet, idem ſic commendatur, ſic in laudibus celebratur, ſic propagatur, ſic uno ore prædicatur, aut illud quidem forum ſic etiã diuerſarum gentium uoce extollitur, aut ſic ab omnibus literatis uiris Muſæũ Caroli Cæſaris approbatur propter ſummam eius utilitatem, & honorem, quòd ut hanc honeſtatem & ſplendorem maximis in hominũ genus diſciplinis atq; excellentiſsimis doctrinis collocaret. Illa nempe & huius contiguam pontis lapidei, & finitimam ſtructuram politiſsima arte minori Pragæ adiungit, qui arcus elegantiſsimos quatuor & uiginti continet. Hanc ciuitatem nouam, quæ à ueteri Praga diſſociata eſt, fortitudine uallorum atq; foſſarum, ſociã illam ueram & antiquam colit, quæ tam pulchris mœnibus, & tam ampla defenſione muri cõmunita uidetur, in quam illa benefica & ſalubris aqua cum ſumma abundantia deriuari poteſt. Hæc autem ciuitas ampliter ad locum mirum in modum æditum, & ad colles uſq; ſummos protenditur, quorum unus Inuictiſsimi Cæſaris Diui Caroli & appellatur ueriſsimis & iuſtiſsimis laudibus, alius Diuæ Catharinæ uirginis omnium pudiciſsimæ. tertius Viſſegradum munitiſsimo loco ſitum, & in modum arcis ædificatum eſſe commonſtret. Poſt Pragam altera Litemeſce apud Bohemos pontificalis ciuitas propinqua Morauis, & coniuncta pari amicitia & beneuolentia. Cuthma illa ciuitas ob mirificam auri atq; inexhauſtam argenti copiam diuulgatum nomen habet, quæ ſuis temporibus propter domeſticorum magnitudinem, & inteſtinorum bellorum oppreſſa ſæpe partibus urbis diſturbatis, aut incenſis capta & depopulata fuerit, & per id tempus neq; ad fodinas auri, neq; argenti ſint aſsiduis detrimentis, tanto impetu, magno periculo ſine ulla mora prohibiti imbres. Extollitur Buduicium propter egregia facinora, quæ mãſuetudini obtẽperat, ſe in fidelitatẽ adhibet, iuſticiã adamat. Slagenuerdiũ, cui non ſine cauſa plurimum ſemper cordatiſsimo mortalium iudicio tributum eſt, ciuitas cum ſplendore & pietate erga homines ſingulari, tum præſtanti magnitudine & animi & conſilij famam ad populum diſſeminat. Neq; Eaduum laudis & humanæ particeps & ſocia & miniſtra fortitudinis deeſt, ſiue Luna, ſiue utraq; Broda, una Bohemica, altera Theutonica, ſiue Budinge, ſiue Colonia, ſiue Poggiebratium, ſiue Litomeritiũ, ſiue oppidum Grezium, quo nihil poteſt eſſe opere & natura munitius, quod quum ſanè fœliciter dos ampla, tum perpetua dicitur reginis tributa eſſe, ſiue quæ alia uocem magnificam præſtat, eam memorabilem ciuitatẽ, & laudatã perſcribã. Addere aut Zaſium, aut Pelzmã honeſta in re atq; cauſa nõ aggrauor. Vtraq; ciui-

tas claris nominibus propter res gestas gloriari pōtest. Iglaria permagna & perhonorifica quotidie florescit autoritate, quæ pertinet ad Morauiam, finesq; habet proximos. Thabor oppidum uallo & fossa circumdatum ex ruinis alterius Hausche maximis inchoatum, loco difficili, multis turribus, & aggere sublimi conditum, quod clarissimus & optimus Cæsar Sigismundus condonatū ciuitatis honore uoluit. Hæc regio prorsus gelida, quomodo sese tot auicularum delitijs, tantis armentorum gregibus, omni ferarū genere abūdare ostendit, quæ arboribus, & re frumentaria tam pia, q̄ fœlix existimatur, quæ uti neq; potu cereris, neq; liquore abhorret loco uini ad corpus reficiendū, quam Bohemi ficticio uocabulo, & semidocta lingua ceruisiam appellant, quæ quasi ex ipsa Cerere, & salubriter & mirabiliter facta est. Ager ex singulis locis fructū gignit, semperq; producit, & campus tum herbosus, tum perfrugifer, & in omni genere cōmoditatis laudandus est, præsertim cum nulla glebarum fœlicitas prætermissa est. absunt nō procul colles à Zasio publici delitij, publicæ cōmoditatis & urbanitatis, & prope Litomeritium festiui, delectabilesq; uineis consiti. Sed id uinum, quod est proprium, ita acerbum nascitur, ut nūmatiores, qui multis & uarijs de rebus ditantur, importato ex Hungaria, & ex Austria uino optimi & gratissimi saporis utuntur. Cum Dalmatis, cum Liburnis, cum Seruijs, cum Illyrijs, cum Mysijs, unus &

coniunctissimus sermo est genti. Quondam non solum Bohemis mos uetus fuit, sed etiam multum laudabilis, præsertim populum diuersis linguis docere cōmunem. Illo enim in tempore diuina lex, diuinum uerbū, diuina inter homines philosophia & doctrina florere uidebatur, quod non modo in templis Germanico sermone uerbum Dei, uerumetiam Bohemico in cœmiterijs populum docerent religiosi homines, & id colerent & obseruarent & diligerent. Vbi collegia presbyterorum graui sanctimonia prædita, & Monachorum magnitudo religionis, atq; sodalitates in perpetuum castissimis mētibus alligatæ sunt. Nam quum solis Monachorum mendicantiū ordinibus, & facultas & potestas, & maxime doctrina cœlestis concessa esset: quantum doceret tā Bohemica, q̄ Germanica lingua populū uellēt. Quæ res enim hanc olim regionem indicat fuisse Theutonicam, in quam temporibus successiuis ingressi sunt Bohemi, propter iucunditatem futuræ possessionis hominibus suis clarissimis militibus, qui cum suis laudibus, tum uero præclaris rebus superassent omnium gloriam, quum eis contigisset, ut antè rem militarem exercerent, q̄ à Dalmatia discederent. Sed Aeneas iucundā atq; lepidam sententiam Strabonis grauissimi authoris non prætermittit apponere locupletissimis testibus, cuius quidem hæc uerba accurata, nitida, & uenusta lector inueniet, quæ in illo septimo cōmētario non inscite, subtiliterq; scripta sunt. Vt partim agricolas esse

Sueuos, quòd agros colunt, partim ſyluicolas, quòd
ſvluas perpetuo habitãt. Aeneas in illa ſua hiſtoria im-
perioſe aſſentitur, ſeuere declarat, pertinaciter con-
firmat, quos modo uicinos, modo proximos genti Ge-
tarum eſſe, & in cõmunibus uijs præcipuo quodam
confinio apparere, multi potiſſimum ad hiſtorias ſcri-
pſerunt. Sueuorũ gens longe maxima & bellicoſiſſima
Germanorum omnium à flumine Rheno uſq; ad Albim
peruenit, eorum portio ad utranq; ripam fluminis pa-
ſcua, agros, uicos, ſedes habebat, quemadmodum ea
loca olim & Emondori & Lancoſargi incolebant. Cũ
quo iam dicto Strabonis teſtimonio non potuit turpius
ſcribi, nec fœdius, q̃ ſcriptum eſt ab Aenea, aut de
ebrietate, aut de uitijs, propterea quòd plebs toto in
regno bibula eſt, uentri indulgens, dedita ſuperſtitio-
nibus, auida nouarum rerum, à cauponibus quoties
uinum quidem Creticum quoquo pretio uenale pro-
ponitur, id populares toties cum maximis ſuis iuramẽ-
tis adacti, toties cum mirabili gula, toties cum atroci
temulentia totum conſumunt, qui non modo inſanient,
ſed nimirum audebũt uel nunq̃ uinariam cellam egre-
di, niſi ante exhauſto dolio. In uino Italiæ omnem ſuã
curam, atq; operam ad idem efficiendũ conferunt: qui
autem nominis ampliſſimi, atq; honoratiſſimi, &
paulo ab initio nobilioris familiæ omnibus cæteris
excellentiores eſſe uidentur, ac non medij ſolum inter
nobilitatem, uerumetiam inter ipſam plebẽ, & illi au-
dacia

dacia pollent, & ſumma eis cum uerſutia cõſuetudo, &
cum uarietate ingenij & præcipiti lingua familiari-
tas, & cum rapacitate uis animi & corporis eſt,
quibus omnis uorago & rapinarum & turpitudinis
placet. Nobilitas rumore glorioſiſſimo, & ampliſſimo
decore conſtantiſſime utitur, mirificeq; belli diſciplinã
exercet, quum propter inſignem laudem patriæ, ſum-
mamq; ingenij ſolertiam, tum propter ſingularem cõ-
temptum otij, promiſſa tenaciſſime ſic obſeruat, ut ſi
eſſet res diuina, magnam noluit parſimoniam uictus,
epulas magnificas alat, oportet, quæ delitijs abunda-
re poſſint. Sed populus uniuerſus in hoc ueſtigio uitæ
nullam accipit maculam, qui omnẽ ætatem florentem
opibus, honoribus, humanitate, religione, conſilijs, di-
ſciplinis, fortitudine, affinitatibus, amicitia conſumere
annititur. Populum hunc præſertim unde, & quomo-
do in Germaniam ueniſſe, & in ipſa originis laude, &
militia ſtudioſum quotieſcunq; fuiſſe, toties omnino de-
monſtrabimus. Sed quia multi ſunt leues, & nugaces
annaliũ ſcriptores, inter quos unũ Aeneam Syluium &
eſſe iam, & futurum parum ueridicum inuenio. Is quid
de nomine, & quid de uocabulo, quod ad Sclauos per-
tinet, aut in quam ſententiam, aut in quod ludibrium
ſcripſerat mendacius, q̃ hiſtoria Bohemica poſtulabat,
quem ignauiter, atq; abiecte Sclauonico uocabulo uſum
eſſe cognoſcimus, qui de ui, & tẽpore uocabuli nõ ſolũ
improbe dixerit, ſed etiam ſenſerit, quũ inquit: Bohe-

mi sibi gratulantur, uereq; gratulantur, nec sunt tam ignaui, ut q̃ uetustißimam originẽ, sicut omnes cæteræ nationes, suam commonstrare uelint: neq; Sclauorum prolem se nominari honorifice, atq; ita affirmare grauentur: ut eos ad nobilitatis principium omne testimonium mirifice possit extollere. Bohemos autem ab initio huius mundi tantũmodo inter Sclauos fuisse ait, qui post tempora diluuij non solum interfuerunt huic magnificentißimæ turri cõdendæ Babylonis, sed etiam præfuerunt: neq; dum ullum labium inter homines ibidem confusæ, corruptæ linguæ omissum est: cum hoc quidem uocabulo, & cum toto nomine uerbosi appellantur, quum proprium ideoma sumpserint: deinde facile campũ Sennaar reliquerunt, ac iter prosperum ex Asia in Europam, & in nouũ domiciliũ fecerunt: Dalmatiã, Croaciã, Bulgariam, has prouintias ita plane occuparunt, ut perpetuo dilectam, confirmatam, certã, & ratam sedem habeant. Hæc tradidit ad memoriam posteritatis Aeneas scriptor audacißimus, obtrectator Bohemorum maximus: Sic etiam annalibus eius uehementer ab omnibus authoribus reclamatũ est. quos uidi, cognoui, legi, q̃ sint iniqui & nugales. Etenim integerrimi uiri, & castißimi rerum scriptores moderate, & perspicaciter accusant, atq; contemnũt sententiã Aeneæ rationibus & testimonijs sic: ut aut Bohemis maiorẽ in modum, aut Polonis peruerse atq; tetre infestus à ueritate discesserit, quos scripserat ob maleuo-

lentiam, & ignominiam, anteq̃ in prouintiam Dalmatiam uenissent, appellatos fuisse ab ipsa Babylonica cõfusione linguarum Sclauonos id est uerbosos. Itaq; maxime placuit, ut breuiter & contumaces, & refractarios errores exploderemus. Videbatur enim historia mihi Cretensibus esse mendacior: quod tum ratiocinãdo, tum singulis rimandis pensitandisq; perspexeram. Itaq; quum error primus uocabuli notatus esset, ut ab ea structura turris Babylonicæ & propter uarietatẽ, & propter confusionem linguarum Dalmatæ, Croaci, Bulgari, Bosnenses nomen Sclauorum haberent, quod quidẽ Iulius Cæsar, Plinius, Salustius, Liuius, fons Cicero eloquentiæ planè ita nusq̃ expresserunt: ut nomen Sclauorum ante ætatem ueterũ scriptorum inauditum sit, nos in præsentia, quemadmodum spero, opinionem falsam, ut potest, in tanta doctißimorũ uirorum autoritate, & documentis reprobamus, non frigide, non indigne. Quod ad Sclauos attinet, hoc uocabulũ ab Italica lingua excogitatum esse uidetur, quo in Latino sermone non solum misere, sed etiam horride proferuntur uocabula corrupta, uitiata, ficta propter bella exterarum gentium contra imperium, populumq; Romanum. Idcirco lingua Latina iniuriam temporũ passa est apud Italos, qui in tempore bellorum, ut non ex schola, sed ex hara produxerunt nihili uocabula, nouas uoces, nomina aliena. Hoc uerißimum dicitur Illyrios, Mysios, Dalmatas ab Italis esse satis barbare nomina-

tos, quos Sclauinos à flumine Sauo uocãt. Id tum uernaculo, tum etiam uulgari sermone non pure, & uenuste nouum uocabulũ deducere conati sunt, eodemq; uocabulo diplomata Pontificum Romanorum, populiq; Italici ultro citroq; literæ ad exteras nationes & scriptæ & missæ fuerunt, ex quibus id quidem uocabulum perq̃ barbarum non desies pro Latino reperi apud omnes gentes usurpatum esse usq; ad hodiernum diẽ. Hãc enim originẽ nominis & uocabuli Sclauorum in annalibus scripsit & Græca facundia, & Latina eruditione ornatissimus uir Paulus Dalmata. Secundus error non solum calumniam, sed etiam inuidiam amplificat, ut Aeneas sine malicia, sine uerecundia nullum unq̃ authorem se legisse affirmaret, in quo aliter fides teneri non potest, aut qui antiquissimum aut altissimum gradum nobilitatis audacius patriæ suæ, qua nihil esse iucũdius potest, & honorificis, & imortalibus ad posteritatem scriptis tradidisse uideatur: aut impudentissimus cauillator, aut leuissimus uellicator non in Bohemis originem solum, uerumetiam in Polonis omnino ridiculam habet: nisi quũ Hæbreos diligenter exceperit, & eos inter mortales primos enumerat, dijudicat, confirmat. Germanos ex Romanis esse ortos incuriose rimatur, perperam dicit, ij hac Romana prosapia accepta omnibus in modis se nobilissimam originis sobolẽ fore gloriantur: id dat figmentum, quod legimus, id instituit credere de nobilitate Germanorum, & ipse iam

ad amussim credidit, quod ab eo frigidum & ieiunum deduci potest Nam nobilitas Germanorũ non ignoraretur, aut taceretur prius, q̃ Romani (ut antiqui rerũ scriptores hoc non carptim solum literis mandarunt, uerum etiam summatim, & solicite memoriæ prodiderunt) noti Germanis fuerunt. Britannos maiorem in modum commendat omni stemmatis gloria ornatos, quorum primum genus quidem Brutus eques Romanus adolescẽs exilio multatus in suis clarissimis factis aptissime nobilitauit, cuius in antiquitatibus nulla posteris sunt testimonia, atq; documenta perscripa. & illi ueteres olim scriptores Liuius, Dionysius, Halicarnasseus, atq; complures alij nunq̃ meminere. Omnino nunq ipse Brutus in Britãniam profectus est: Sed tamen Brutum generis Britannici, atq; imperij authorem, & propagatorem in historia sic fingit, ut maiore mendacio fingere non possit. Simul & imperitissimus homo, impẽdio temerarius, inprimisq; maleuolus nationibus exteris et Bohemis & Polonis altitudinẽ originis ausus est, ut uitium conscribere, cuius semper probrosam gloriã inflaret. Illos & cõmemorare, & iactare, & iam uberius euulgare, & curiosius publicare missos de ipsa turri confusionis, ut magnam infamiam, & contumeliam fugere non possint, haud destitit. Nam quum in nugalibus aut disceptationibus, aut probrosis appellatiõibus, tum etiam promulgandis in annalibus palàm sic descripsit Bohemos: ut neq; post discessum à Babylonica

turri inter eos quisq̃ princeps fuerit, nec Regem habuerint, qui gubernaculum, dominatumq; tenuerit, nec cuius terræ agriculturã inuenerint, atq; exercuerit, nec cuius militis, & Ducis consilio, prudentia impulsuq;, nec propter ipsum domiciliũ capiendũ, quo turbine, & q̃bus procellis in Europam concesserint, nec quo tempore doctißimi uiri quicq̃ suis monimentis celebrant: qui Sclaui præsertim, quum fortiter Asiam occupasse uidẽtur, etiã ipso diluuij periculosißimo tempore, tum uero totius orbis terrarũ confusis labijs in humano genere de turri Babylonis, ac de structuris coacti cessare. Tali enim laude Bohemos aut deridet, aut scõmatibus afficit, modestia non utitur, in originem gẽtis contumeliam molitur, narrat impie atq; intemperanter Bohemorum initium, temere nobilitatem generis floccipendit ex uetustate temporũ, & testimoniorũ: quod si intẽpestiue, ac pensiculate nugas quidem cõminiscitur, factum putat primordium Bohemorum nõ ex turri Babylonica, quod quidam rudes, & agrestes prædicant, sed ex ipsa arca Noe non minus fortasse, q̃ ex paradiso, & utero Euæ plus etiam, q̃ ex alijs, enucleate cõmemorat. Vnde illud initium pertinere ad summã nobilitatis amplitudinem, dignitatem, authoritatem uehementer magis atq; magis irridet, & cum qua profecto nunq̃ ipsi Bohemi iactabundi fuerunt, & hoc nusq̃ scripsisse ad originem eorum, & ad familiæ nobilitatem quisq̃ sapiens inuenitur, Hanc enim uanitatem Aeneas despicit, nequis non laudando inane nobilitatis & arrogãs principium expleat, præsertim si in eo genere deliramentũ anile non aspernabitur. Quod reliquũ tum festiue, tum cõmodißime dicit: quando ille quidem princeps ingenij, & doctrinæ Plato, tum omnes Reges ex seruis ortos, tum deniq; omnes seruos ex Regibus procreatos putauit: quum illa ipsa prudentissimo cuiq; sola uirtus, & unica honestas ueram nobilitatem ad hominum genus gignit. Sunt multa humanæ sapientiæ magnitudinisq; animi præclara facinora non solum scitu, sed etiam memoratu digna, quæ de Bohemis omnia authores sua cura, opera, diligentia q̃ rectißime tradunt, ea & accuratius Aeneas properat, & festinat celebrare, ac potius strictim, cursimq; illustrare omißis nugis. Aeneã autem Syluium Pontificem Romanum Bohemicis rebus gestis uersatum, publicumq; authorem mihi elegi ea imitatiõe, quæ potest esse honestißima. Supprimo errores eius, & pro summa ueritate reprobo, ut eum unusquisq; in fidem suam non recipiat, eiusq; historiam plerisq; locis fictam, & mendacem credat, partim non dißimulanter nugas eius abijciam, partim non abrogandam ueritatem imitabor. Nũc mores cum uita Ducum non explanandi magis, q̃ interpretandi sunt, inter quos Zechius Croatinus miles optimus, & cõmemorabili pietate ac uirtute præditus, ac familia nobilißima ortus, tanta beneficiorum magnitudine primus cõditor gentis Bohemicæ creditur, qui in solo natali pro-

De Zechio primo Duce Bohemiæ.

pter perpetratum homicidium & crudele, & nefariū, timens & fugiens ultionem in eam primum uenit terram, quæ uocatur Bohemia quod maleuolentia, & illius Aeneæ Syluij calumnia atq; inuidia inductum scelus ignominiæ ficte adscribit toti nationi. Sed is quum olim semper & suo candore, & suo studio, & integritate, cæterorumq; amicorum fauore, & cōmendatione gratissimus in patria fuit: & quo in tēpore propter ornamenta honoris, & fastigium gloriæ, & laudis insignia q̄ primum exteras terras inuisere, & ingredi uoluerit: Ducem nihil libidinosum sane potuit delectare, nihil ignauū, nihil deniq; huiusmodi, quod etiam minus ad egregia facinora pertinere posit. Ita semper Zechius uigilauit, ut tantum eius prosapia illustraretur, quantum res gestæ posterorū memoria alerentur, ore populi crescerent, perinde optimarum artium, ac plurimarum monimentis inueterascerent, aut etiam corroborarentur: easdem res concupiuit, quas sperauit æternas fore & ad famam, & ad memoriam posteritatis propagatas, tum omnia uirtuti parat, campos aptat, domos ædificat, montem, qui illo uernaculo nomine appellatur Chezip, magnopere incolit: quod quidem uocabulum ex eo situ non illepide respiciēs interpretatur. Ille mons ex omnibus camporum partibus non riuulos solum, sed etiam maiores fluuios intuetur, quos in suo regno maximos esse Bohemi dicūt, scilicet Albim accolas maiorem in modum ditantem, Multauiam incredi-

bili abū

bili abundantem pratorum ubertate, tum Egram fœcūdis, tum amplis effluentem agris. Quondam scripserūt tot literati homines, haud terram cultam fuisse propter ardua montium, & lubrica uallium, & aspera ambulacra sentiū. Sic enim feris bestijs aptior, q̄ ipsi hominū generi ad cōmorandū uidebatur: amplæ solitudini patebat. Prisci autem Germani, qui ea horrida & aspera, atq; inculta loca tenuerunt, plus pastoralem uitam agebant, q̄ diuitias, quæ tantummodo colligi per fas, atq; nephas possunt, indies quærere nitebantur, qui alimoniam ex pecoribus habere horum temporum, horū hominum, & quasi more Nomadū laborarent. Eò magis admirandum fuit, quò plus domesticū carris quoddā instrumentū traherent: ut in eodē tempore quoquouersus industria, fœlicitas, opinio, & sors suasisset, cum suis alacrius, & apertius, & celerius armentis conuertebantur. Quum historia Bohemorum antiquissima rē aliter esse factam, sensisset, cui omnino author Aeneas Syluius credere negat oportere, quæ illum perspectissimum, atq; ornatissimū ducem Zechium, & omnes eius propinquos, omnes affines, omnes & comites ac socios non glandibus solum, sed etiam pomis syluestribus, aut ipsis cibis ferinis uesci oportuisse affirmat. Sic idē Aeneas & usum glandium obliterare, & contemnere, & iam liberius uitare & fugere, ut iampridem illud humanum genus pabulum ferinū reliquisset, ob multas & uarias causas scribit, uel quando rationibus, uel te-

D

stimonijs plane insignem locum reliquit. Nam quum in
tanta gentium multitudine, tum in experientia palàm
sic posuit argumentum fortissimum: ut neq; quidem ma-
gis quisq̃ post diluuium cultura, nec uestitu, nec uictu,
nec Baccho, nec Cerere carere potuerit cum summa se-
dulitate humanorum propter necessitatem studiorum,
& improbi propter esum laboris. Iterum Aeneas Syl-
uius omni conatu, ac potius uigilantia contra ueterem
historiam suis crediderit rationibus Ducẽ Zechium nõ
multos inuenisse cultores. Tantam enim curam subijt
princeps nouorũ propter alimoniam agrorũ, ut quo-
niã ipse nisi effecta re frumẽtaria in uictũ humani gene-
ris nõ desijt, nõ conquieuit, qui, quia mediusfidius eosdẽ
colonos partim rudes, partim feros ad esum humanum
redactos subijat, uitã homini esse maxime aptam putet,
siue lacte, siue caseo, siue tritico, & pane, & oleribus ue-
sci. Idem Aeneas scribit nullam fidem maximũ apud se
pondus habituram. Id eum ne fallat, etiam atq; etiam
ostendit, non eodem tempore omnia fuisse cõmunia, aut
nec uiros, nec fœminas, nudos incessisse sine uestibus, quæ
illi tempori congrui potuerunt. Cur enim Bohemia nu-
dum hominem asseruare nõ posset, compertũ est, præ-
sertim cum his regionibus frigora pro temperie liceat
pati, ex Dalmatia exercitus Zechij in Bohemiã studio-
se, & diligenter uestitus uenit. Quare credere antiqua
historia desinat iam nugas, tandem si in similitudinem,
seu in argumentum quispiam Adamitas aduexerit ho-
mines stolidissimos nostra tempestate apud Bohemos
ualde turpiter emersos fuisse impuros, iniquos, notatos
uitijs, malos plane Christianos, & tum maculis scele-
rum, tum etiam prauitate, si quid ad pernitiem hoc per-
tinet, lutulentos, schismatici autem fuerũt sic insanissi-
mi prorsus, ut conditione omnium rerum communi, &
corporis nuditate exultarent impudentius. Quare ut
prauũ genus hominũ, & omni inquinatũ flagitio, bre-
ui deletum constat. Zechio uirtutis cum summa testi-
ficatione principi unice fuit charus frater, ut historio-
graphi tradunt, dictus nomine Leches non mediocris
exercitus Dux, & Imperator: postq̃ ditissimos Germa-
nos, qui se armentorum multitudine non solum, sed etiã
fructuosa agriculatione mirũ in modum oblectabant,
animaduertit curiose. Is collocauit populum suum in
ampla camporum planitie, sedemq; fixit: q̃primũ cum
summa alacritate, & innata agri colendi cupiditate
profectus esset in orientem solem. Hoc cõmode fecit, ut
prouintiam istam non sine loci causa appellasset hone-
stissime Poloniam. Nam quum uocabulo Sclauonico, ut
ita dixerim, ipsa planicies pole uocatur: illius tum hæc Laus Polonorum.
nobilis, tum ampla hæreditas paucis post annis admo-
dum coaluerit, de quo tanta potentia exorta est, tam
excellens militia, tanta animi & ingenij magnitudo,
deniq; tot optimates, tot homines religiosi, florentissi-
ma Academia, cuius suauitas disciplinarum, ciuilitas mo-
rum, sapientia Musarum, delectatio uitæ mortalibus

magno uel ornamēto, uel præsidio esse uideretur, & in qua omnia optimarum artium summa sint ornamenta, & fulgentißima uirtutum lumina, tandem infinita hominum multitudo per illas ipsas prouintias Cassubiam, Pomeraniam, Rußiam: tot urbes, tot ciuitates, tot arces, tot pagos unius hæredibus clarißimi Ducis impleuit. Quū autem utriq; duci prudentißimo uidebatur utile esse, prouintias dispertiri, si quid est, in quo fratres sibi quidem ipsis prodesse poßint, non ut aliquid ex auaritia retineant, sed q̃ honestißime diuidant. Satis profecto Zechius prudēter fecit: qui potius sibi, q̃ fratri prouintias Morauiam, Bohemiam, Lusatiam poßidendas iure quodam elegit. Nec enim Illustrißimorum uirorum, quorum similes esse uoluerunt, exempla, neq; doctißimorū quos semper dilexerunt, fratres præcepta fugerunt. Atq; cum uterq; castra ad montem, qui locus esset lingua uernacula Rzip appellatus, posuißet, tum cum Zechio locutus esset suauißime Leches. Eo, inquit, loco tuus exercitus mecum esse non recusauit, quo ego maxime mihi & tibi fortunam, & prosperitatem desydero perpetuam. Tu uero uelis tibi, tuisq;, sicut amicißime & suauißime opto, prospere euenire ea, quæ ad salutem bonorum omnium, atq; uniuersæ reipublicæ pertinent. Nunc scire debemus quòd domos nostras & patriam ipsam uel obliuiscendam, uel non reuisendam reliquimus. Sed in principio profectiōis dux Leches distributis exercitibus, euocatisq; edicto, primum ad ortum solis copias sociorum, deinde in septentriones hominum non paucitatem cōmigrare iubet. In eodem legiones loco quū paulisper præstolari iußisset. Sic enim ipse cum sapientia, & humanitate fratem ante discessum alloquitur. Non dubitas frater, quin scias in his prouintijs, quæ mihi à dijs immortalibus promissæ sunt, me prorsus tibi fore amicißimum, non his modo rebus, quæ nodum habent fraternæ charitatis, sed his etiam quæ ab intima, atq; nobilißima stirpe proueniūt, quam scis mihi charißimā tecum, & iustißimam fuisse. Ab his initijs incredibibis noster in te fauor profectus auxit fraternam amicitiam, & eò magis, quòd perspexi: ut primū per suauißimā germanitatem perpetuā concordiam uitæ habere potueris: quanti quisq; nostrū æstimādus esset, non ignoras. His de causis hoc maximū putes gaudiū, qđ te talē cognoui, quo nihil fratre amātißimo, & cōiunctißimo, optabilius, ac iucundius uidetur accidere potuisse: id magis optabile, magisq; iucūdum fuit, q̃ tum fuisset summa amoris simulatio, tū uero ipsa consuetudo nostra ficta. Nunc te magno meo beneficio ita affectum cumulatißime tractem: ut tibi corām recepi: tam cōmodum tibi id erit, q̃ quod cōmodißimū: Me præterea sempiterna memoria, & summa obseruātia tibi in perpetuū deuinxeris. Data nunc fidelißime, et coniunctißime dextera, inquit, uale gratißime frater pro tua singulari consuetudine, proq; tuis in me perpetuis, maximisq; meritis: non sine magna gloria, magna

Sarmatiæ primi Ducis Lech, oratio, in qua propria laus Polonorū recitatur.

militiā & honestate hāc à me profectionem esse factā, Dij mihi nunciabant fœlicitatis aspectum: quo quū insignibus officijs non solum conditio fortunæ oblata esset, sed etiam fortissimis, atq; optimis successibus adornata ac largita. Is dies hodiernus nobis lepidissimus est, quo die ad Sarmatiā cum maximis militū copijs proficiscimur, multarumq; præterea gentium cum forti, inuicto, militari exercitu: quam cum grauissimo iudicio Poloniam diximus. De cæteris prouintijs circumiectis quicquid erit faciundum, non cōquiescam cura mea Pomeraniā, subigere, gubernare Cassubiā, occupare Russiā, urbes expugnare, aciem hostium profligare. Has quidem nostras uirtutes magnas, incredibilesq; tot proceres, tot principes cognoscent: & domi, forisq; posterorū nostrorum apud exteras nationes integritate, religione, mansuetudine, pudicitia, iure ipso iustitiæ sanctissimo, bellis, pace, iudicijs, dignitate, existimatiōe ipsa humana & diuina omnia non inferiora, q̄ quæ unq̄ fuerunt amplissima, innotescent, & parebunt, & fœlicitati, & prosperis successibus. Eam sobolem nostram dij immortales uoluerunt cum acerrimis nationibus, & maximis Moschorum & Turcarum prælijs fœlicissime decertare tot iniustis & tot sæuis populationibus & Dacorum magna, & grauia bella compescere, dimicare cum tam barbaris Scytharū, & ijsdem crudelissimis copijs, quas gentes nemo unq̄ debellauit, quæ cuperent orbem terrarum uexare, depopulari, delere, exurere. Nemo profecto sapienter de re militari cogitauit iam inde à principio huius mūdi, quin Scythiā maxime timendam huic orbi terrarum putaret. Equidem ut paulo ante dixi, propter uim, ac multitudinem illarū gentium rapinas, spolia, latrocinia, aut fortunarum, coniugum, liberorum expulsiones, aut direptiones, aut neces, postremo omnem mihi ruinam uidetur habere id, quod accidere Moschis, quod Græcis, quod Thracibus, quod Dacis, quod Lithuanis, & Sarmatis solet: quum depopulatio ista quæ in excidium agitatur, Sarmatis obtigit. Posteri nostri, qui in propinquis locis, & finitimis commorantur, neq; tum formidant opera, neq; consilio, neq; fortitudine suos hostes ita infringere, & superare, ut tot Sarmatarum bella, tot uictorias, tot triumphos, tot deniq; orbis terrarum pugnas admiraretur. Quamobrem Sarmatas esse Deus optimus maximus, ut uoluit, sapientissime fecerit ea lege Scythis uicinos, ut hæc omnibus cladibus propinquarum gentium ualidissima propugnacula, aut defensionis hi propositi sint muri etiam fortissimi. Neq; esse dubitandum, quin his saluis auspicijs, aut legibus, aut deniq; tantis uiribus, quibus sunt in Sarmatiā diuinitus collocati, pulcherrime starent cōtra hostes. Ita facillime eos prædones contūdāt, quos nulla gens aut ui, aut manu et debilitare & frangere & domare potuit. Hæc illi quidē non multo secus, ac quæcunq; statuunt, omnia semper misera, semperq; flagitiosa sint in rebus bellicis, quos

onuſtam prædam bonorum, fortunarum, coniugum, liberorum uehentes in eadem uelocitate, qua illi fugiunt, noſtri perſequuntur, & ſumma cum fortitudine infinitis ſtragibus afficiunt. Si autem ſuperauerint hoſtes, qui hoc dominatu cultus humani uacant: Deinde multa habent aduerſa propter ſolitudinem, quam hiſtoriograhi ſumma cum elegantia memoriæ prodiderunt, et magnam, & amplam nemorũ, ac paludum, propter magnitudinem terræ, multitudineq́; fluminum, & altitudinem niuium, & algoris in hyeme diuturnitatem, propter perniciosam in omni genere frequentiam beſtiarum, uel ferocitatem, uel ſæuitatem, uel quandam uarietatem, ſi minus admirandam, at promiſcuam, tamen formidoloſam & terribilẽ, & ꝓpterea fortaſſe etiã periculoſam. Sic opus eſt noſtris cum iiſdem beſtijs, & prodigijs acria bella gerere, qui oppreßi inedia longitudine itineris, aſperitate uiarum q̃ maxime patiuntur, omnia quæ fortißimi, atq; ſtrenuißimi milites pati poßũt: coguntur incultas, & horridas ſolitudines magis cõculcare q̃ urbes ſpoliare: quum primum ad illas magnificas, & urbanißimas poſſeßiones domeſticas gratiores Dijs penatibus uictores meritis erga dulcißimã patriam ſuis reuertere uideantur: q̃ ſubita Scytharum iniquitas quoq; in tergis noſtratiũ hærebit: præſertim ſi à ſceleratißimo latrocinio procul abeſſe illos credunt: uidebunt in ſuis crudeſcere tectis, qui eadem celeritate, qua turpißimam fugam arripiunt, q̃ ſæpißime Sarmatiam,

tiam,

tiam ſpoliauit. Iterum poſteri noſtri robore grauitatis, conſtantiæ, animi fortis ſunt contra hoſtes, & tam celeriter arma parant: ut uirtute militari crudeliſsimorum hoſtium improbitatem, depopulationem, & ſæuitiam compeſcant, ac conſumant, quibus furtiuũ iter nõ in Morauiam conceditur, occultus aduẽtus non in Bohemiã permittitur, introitus in Sileſiam, & in Germaniam prohibetur per Sarmatiam à poſteris noſtris: & quicquid regionũ omnibus poſt terga Polonorum angulis continetur, id conſeruatur re militari, & beneficio tutandi. Sed quid potentia, quid armis, quid immanitate ipſa ſemper Scythæ ualuerũt, teſtis eſt reſpublica Romana illa quondam pulcherrima, florẽtißima, potentißimaq́;, tantis ruinis data modo, ut nulla ſicut ualidißimis mœnibus, atq; amplißimis firmamentis allatura ſit priſtinum florem ætas. Nihil enim aut opere, aut natura tam munitum fuit, quod aliquando non domuiſſent, atq; excidißẽt à fundamẽto Scythæ. Quæ natio cum Scythis non bellauit? quas nunq̃ terras attigerunt? qui ſint? ubi bella geſſerunt? In hiſtorijs licet ne ignorare teſtimonia militiæ, per quos proſtratus Macedoniæ Rex Philippus, Pannonia capta, Germania uexata, Treuiri & Bataui oppreßi, Gallia laceßita, Aquileia exciſa, Daci, Medi, Perſæ ſuperati, Italia exuſta, Caput mũdi Roma lacerata: Dũ rapiunt liberos noſtros, dũ ſpoliant aras, dum fana euertunt, theſauros ſacros auferũt, homines uerberãt, uulnerãt, occidũt

constuprant matronas, uastant agros, domos incendunt, familias arripiunt, uirgines abducunt in seruitutem, pecora abigunt. Tum his cognitis nulla tarditas temporis posterorum animum minuat, atq; molliat, qui magnifica uoce, quanto robore, q̃ ingenti celeritate illas ipsas strenuas legiones, ac magnas equitum & peditum copias conuenire cogunt, quod Sarmatiam quum frequentißimis armis & studijs, tum non uulgari præstantißimorum militum prouidentia à perditißimorũ hostiũ nefaria uastitate defendunt, qui propter earum defensionum, quibus & Sarmatiam, & plures nationes conseruant, et custodiunt, uigilantiam & magnitudinem, nisi amplam & magnam laudem ex ista militia assequuntur, aut illam curam infinitam, aut periculosam uitam quotidie subire uidẽtur, ex hoc, quæ sit occupatio, quæ cogitatio, qui animus, quod exercitiũ rei militaris, uideri potest. Posteris tamen nostris Deus non defuturus putatur, omnia aut secunda, aut prospera annuit, mirandum in modum pollicetur, offert, & illi quidem condecorati quum maximis sunt uictorijs, tum etiam lætiore, & maiore triumpho, ut multiplicata sobole in amplam potentiam extendantur. Simul quoq; amplißimis reliquis terræ dotibus ita Sarmatia florescit, ut abundantia apum, & ubertate agrorum, & copia salis ita redundanti, ut usq; ad Silesiam, & ad peregrinas ciuitates, & ad cæteras nationes uehatur, & tanta plumbi multitudine, & tam inusitata, inauditaq; preciosißimarum pellium uarietate, & maximis boum, & refertißimis gregibus, qui ad illas exteras nationes alendas expelluntur, facile omnibus terris antecellat. Nunc uero optime frater finem dicendi faciam, & illud te ad extremum oro, atq; obsecro, ut nisi omnia tua facta, atq; dicta nostris admonitionibus cumulate respondeant, nostri affines, cognati, atq; nepotes tantis laboribus, tantisq; uigilijs, quorum nos omnium Principes fuimus, totum hoc enitendum putẽt, quantũcunq; est, quod certe maximũ est, totũ inq̃, profectum ab utriusq; nobilitate, ingenio, uirtute est. Illi tũ laudi, tum dignitati, tum uirtuti parebunt, ut omnẽ gloriam, ad quam ab ineunte ætate inflammati fuerunt, omni cura, atq; industria consequerentur, florebunt præter cæteras nationes fortißimis factis. Te uero oro, quum fraterna beneuolentia, tum amore incitatus meo, ut id efficiendum putes, quod amplitudinem nominis, & nobilitatem parabit posteris nostris ex illa uirtute, quam sapientes uiri semper admirantur, semperq; amant, non est tibi solum ijs euigilandum disciplinis atq; honoribus, qui nunc pertinent ad nostrum præsentem populum, sed ijs etiam, qui ad futurũ pertinent, quum illius erunt cultus moribus, & studijs non dispares & cõmertiũ linguæ cohærens. Deniq; illud animo etiam uoluere debes, non te tibi soli ornamentũ quærere gloriæ, quod si esset, tamen minime prætermitteres, præsertim cum rerum fortitudine gestarum

uoluisses insignem nominis tui memoriam posteris relinquere. Sed ea est uirtutum omnibus in terris imago & iam cõmunicanda, & semper prodenda mortalibus, in qua est uersandum, & immorandũ, & insudandum. Ne, si segnior fueris, non solum amplissimis tuis laudibus parum consuluisse, sed tuo generi etiam inuidisse uidearis. Atq; hæc non eò dicũtur, ut te mea imbecillitas dicendi socordia torpescentem excitasse, sed artibus potius animi incumbentem, quibus summa claritudo paratur, incitasse uideatur. Potissimũ enim facies, quæ te hortatus sum facere, ut nostræ prosapiæ posteritas egregia tua facinora, temperantiam, seueritatẽ, æquitatem, integritatemq; laudibus efferat. Te & oro, & hortor, ut memineris, quantæ in Bohemia accessiones tibi fient & fortunæ, & dignitatis, quum ad tuã summam honestatem infinita auiditas accesserit: Nihil esse, quod ad gloriam posterorum attinet, quod non tu diligentissime perspicias, & tibi non sine cuiusq̃ exemplis in mentem ueniat. Sanè familia nostra, quæ quum ipsis fraternis regnis suos fines habet coniunctos, te imitari cupiat, & quæ quum intuetur te, tuis illis perspectissimis, atq; ornatissimis normis non abuti uideatur. Ideo & nostra soboles tuis saluberrimis quibuscunq; documentis maxime delectetur, & illam tuam in æmulando sapientiam, magnitudinemq; animi, & omnem industriam, militiamq; tuam in clementia, atq; in tanto candore, atq; in summa, & eminentissima claritudine

tudine collocatam semper sit uigilantior, per illam tuã dexteram, per illam fraternam dilectionem te moneo, obtestorq;, ut pro incredibili uirtute, singulari prudẽtia, non mediocri pietate, & iustitia, hæc facias, mi suauissime atq; charissime frater, quæ maximo & mihi, & tibi, atq; posteris nostris usui, & honori sint.

Posteaq̃ dicendi finem Leches fecit, coniecti omniũ, qui aderãt, oculi in Zechium sunt, ueluti momento responsurus esset. Deinde non diu silentium fuit, quum perfusum, incredibili sapientia oporteret omnibus libere loqui, q̃ primum argumentum expresserit ipsa industria, cum auiditate dicere uellet, atq; ita orsus est.

Oratio Zechij, in qua Bohemiæ laus recitatur.

Frater Leches incredibili gaudio, lætitia, uoluptate afficior, quum talem amicum te mihi Dij immortales dederunt, ut nihil post hominum memoriam iucũdius, nihil gratius, ne in uita quidem ipsa maius accidere mallem, quàm tuam amicitiam, de qua habuisti ualde luculentam, ualdeq; meditatam contionem, quũ & studijs, beneficijsq; in me gratissimã, tum etiã grauissimis uerbis, atq; sententijs plenam. Ego uero cum exercitu nostro te non sine fauore, & sine obseruantia propè fratrem, propè æqualem, obsequio filium, offitio parentem amplector. Quid à prima usq; infantia sine te unq̃ mihi, aut tibi sine me charum fuit? Ita cum eodem exercitu tuam pietatem, amoremq; in me facile

commemoro, & monitis, & præceptis tuis conſolabor, proficiſcens in Bohemiam, poſteaq̃ fundamentum huiusregni non modo ut fideliter, ſed etiam ut ſapienter iactum prouidebo, nunq̃ per ſtudium quietus ero, quum te conſiliarium in rebus tam ſubitis, tamq́; arduis ad nouam prouintiam condendam per me accepi libentiſſime, tum hoc liberius & libentius, quod illud conſilium habens te uidebor habere. Nam tuo impulſu & uirtutem in re militari, & iuſticiam in gubernando regno, & pietatem in omni genere mecũ decreui exercere, & præterea nouas ciuitates cum ſummo ornamẽto prouintiæ, ſummoq́; decore conſtantiſſime, uigilantiſſimeq́; ædificabo, aut tot arces maximo ſtudio, labore, induſtria, ex ipſa quoq; natura munitas formabo, quæ omnia poſteris iucunda, & hæc etiam grata erũt. Ego frater prouintiam colere incipiam cum familia mea antè aliquanto, q̃ ea culta eſt, ſubito exorta eſt fertilis agrorũ prouintia, quæ tot terris alimenta præberet, & ſolitudinem à uacuis locis ad humanum cultum traduceret. His de cauſis ſtudioſiſſime aperiam agriculturam nouam, quam toti nationi ſtatuo mecũ habere, & communem eſſe, q̃ maxima cõmoda, & honeſtiſſima conſecuturus ſum uirtute duce, fortuna comite, eaq; ſum effecturus uſuris frugum prouenientibus, quas aſpere & nimium acerbe moliar, & conſeram. Nunc me ditiſſimũ agrorum, nemini concedentem, qui poſteris principio agriculturæ potior poſſit eſſe, ſi non

pigebit: omnem poſteris glebarum fœlicitatem ex optimo agrorum cultu acquiram. Scio profecto, ubi nec ſylua, nec lucus uiam habebat ullam, nec ſemitæ ullæ erant, nec campi, nec omnino ſimulachrum aliquod, aut ueſtigium ſoli culti occurrebat, ibi hominum generi culturam fore iucundam, quos pratorum uiriditas, meo quidem iudicio, maxime delectabit. Sed magnitudo nemorũ, ſyluarumq́; amœnitas plus certe habebit iucunditatis, uenatoribus incredibilem uoluptatem multitudo ferarum, & uarietas afferet, ubertas camporũ ſaturitatem, copiamq́; rerum omnium, quæ ad uictum hominum, ad cultum etiam deorum immortalium ſpectant, ex ſingulis prorſus locis producet, cum mediusfidius metallorum ſacietas montibus, tum etiam atq; etiã uallibus effodetur, uenæ huius ſoli Bohemici non ſolum metallis refertiſſimæ, ſed etiã locupletiſſimæ aut argẽti, aut auri copiam ita natura gignent, ut multus, ut uarius populus omnem ſuam ſpem, fidem, ſtudium, confugium, ad illam pulcherrimam patriam conferet. Ita facillime, & rei pecuniariæ, quæ mortalibus gratiſſima eſt, & humanæ opulentiæ, quam ſanctiſſime ſibi colendam homines auari putant, me conor ſatisfacturum. Quis ignorat tantam auri, & argenti frugalitatem ab ipſa Bohemia fieri, quantam ipſius humani generis improbus labor, & auiditas poſtulat? Sic miror fœcunditatem ſtanni, & gaudeo, idq; quòd abundare uideo, quicquid in humanum uſum æris, ferri, metalli neceſſa-

uium fuerit, id ita Bohemiam gignere, ut in eandem terram ipsum Deum putem hoc donū cōtulisse. Amœnitas in qualibet parte locorum, urbium pulchritudo, & illa aut iuuenum, aut senum summa humanitas & clemētia diuinis institutis sanctissimæ religiones pullulabunt. Quid illi nationi ornatius? quid porrò tot uictorijs præstabilius? quid militari re gloriosius dare posset Deus immortalis? quæ in uicinitate cum tua gente uiuere plurimum gauderet, & maxime uellet frater: uetus est amor, consuetudo, studia paria: quod uinculum? quæ res deest utriq; genti? Itaq; te nō moneo solum, mi frater, sed plane etiam efflagito, id quod uterq; nostrum petijt his contionibus, quibus ambo humanissime usi sumus, assiduis uigilijs, tota mente, omniq; animi conatu ad fraternam necessitudinem, beneuolentiamq; incūbamus. Nihil est quod maiori mihi, & tibi emolumento, honoriq; esse possit, nec in omnibus & humanis, & diuinis scripturis quicq̄ euulgatius est, aut communius, q̄ de fraterno amore optime mereri. Optimus enim qsq; laudabit concordiam nostram, & sapientiam. Me, quid sentiam, audacter dicere, perseuerante concordia domestica, fortuna suffragante, uidebimus nostra q̄ maxime crescere regna, & q̄ frequentissime hostes superare, ut magna hæreditas in nobis, & in nostris exercitibus, magna propagatio non deerit: quam quidem propagationem amplissimis, & optimis beneficijs suis ornatam esse in singulari fœlicitate misericors & clemens statuit

statuit Deus, & uoluit, eamq; in omni & gloria, & honore diutissime conseruabit. Hac oratione mirandū in modum excepta humaniter, atq; habita Zechius immortales agendo gratias, fratri dexteram copulat, & quā familiā tantummodo charam habet, eam gentē cum summa dignitate Bohemos appellat, id est diriuos, seu diuinos. Quæ autem incrementis ipsis multiplicatæ sunt gētes in eo regno, quod non alio, q̄ cū suo uocabulo consenserunt prouintiam dictam, confirmatam & ratam esse Bohemiam. Tanta enim plebis multitudo erat, ut genere uniuerso ueterum incolarum pulso, Zechius Dux ille clarissimus Morauiā & Lusatiam prouintias possideret, q̄ constantissimus, dum uixit, pacis autor erat, cuius quidem tempore nulla dissensio, nullus tumultus in republica esset, cuius etiā populus ille Bohemicus imperio obsecutus est, summo studio, magnoq; consensu. Eo Duce mortuo omnis fortuna reipublicæ disceptat, & summa est dissensio, & contentio. Nam cum opibus, armis, potentia unusquisq; sibi uendicaret dignitatem principatus, quandoquidem diu per stulticiam, atq; per inconstantiam, non sine seditionibus ꝓuintia, atq; imperium agitaretur, quæ magnam iurgiorum scintillam excitarunt. Cur igitur quum prouintia aut sine legibus, aut sine Duce periclitaretur, gubernata esset ab imperita multitudine? Quum multi imbecillitatem pauperum, qui potentiores sunt, uehementer opprimerent, ut ob eam causam uiris summis, medijs,

Finis orationis.

infimis, ut deniq; uniuersis incolis hoc incertum, populare, & serum remedium sit uisum quærere, atq; afferre, quo gubernator cũ omni prouidẽtia, atq; officio est deligendus. Qui igitur in sua potestate omnẽ ordinem pauperum, & diutiũ haberet, ut ipse nõ modo potentioribus, uerumetiam imbecillibus satis subsidij iure pari posset administrare. Quare sit modo aliquis Dux, in quo mansuetudo, temperantia, humanitas elucere posit. Is autem qui uere appellari potest Dux non in plebem incitamentũ, neq; occasio crudelitatis, sed perpetuæ iusticiæ, & pietatis auctor sit, qui incumberet toto pectore ad rempublicam, subueniret patriæ, opitularetur plebi, innocentium perpetuam defensionem cõfirmaret, quẽ maleficiorum & iniuriarũ propulsatorem, quem adiutorem paupertatis, suo populo omnibus in rebus amicissimum, fidelissimumq; reipublicæ nemo abnueret, nemo recusaret: Ob eas res, quibus inter se mortales amore sunt, iusticia, pietate coniuncti, Dux accumularet incrementum patriæ, eaq; efficeret, ut generosissimus qsq; uirtutem illius anteferet suæ.

FINIS PRIMI LIBRI.

Quantopere si quis inuidus atq; ignarus obtrectator contemneret ea, & q̃ indigna duceret, quæ futuras res, & noua uocabula haberent, quæ temporibus Zechij, et Lechæ non fuerũt, sciat omnis maleuolus: sic Cicero in libris suis, sic Liuius in contionibus, sic alij ueteres authores scripserunt, quos imitatus sum. Tota autem Chronica cum appositis cõtionibus ornate, & distincte scripta, usq; ad nostra tempora imprimentur.

IN REGIA VRBE CRACOVIENSI, Hieronymus Vietor excudebat. Anno ab orbe redẽpto. M. D. XXXV.

